

Unde famem solemque levet reperatque ^(a) vigorem;
 Pulvere vel multo gravis ac de sole viator
 Deque ^(b) via fessus placida requiescit in umbra,
 Invitans molles viridi de cespite somnos.
 5 Ast ego more meo sub ^(c) *(Rome menibus alme)*
 Herbosos soleo calles et florida rura
 Nunc tacitus, nunc rauca sonans, lustrare canendo.
 Forte aliquid meditans pergebam excedere tectis,
 Vixque pedem extuleram tectis atque urbe relicta,
 10 Insolitus cum forte meas sonus impulit aures,
 Proximus ethereo, qui pressis orbibus exit ^(d),
 Credere si liceat, cum summa palatia complet.
 Namque ibi corporibus variis pro dispare cursu
 Mutuo collisis concentum surgere ^(e) mirum
 15 Celesti regione ferunt, cui protinus omnes
 Humane rationis opes inventaque cedant;
 Hos exaudiri nostra de sede beatos
 Posse negant ^(f) pulsus obtusis sensibus usque ^(g).
 Ut vero est primum vox intellecta canentum,
 20 Observans qua parte sonet, vestigia pressi.
 Inde locum velox pedibusque et mente secutus,
 Deveni quo lata patent pastoribus arva,
 Que flexu ^(h) Tiberinus amans circumfluit amnis ⁽ⁱ⁾,
 Primum vicine subeat quam menia Rome.
 25 Tibridis ad ripam leto stat gramine campus
 Leniter acclivus, spatio qui tenditur ^(j) equo
 Undique conclusus corylis ^(k) atque ilice nigra.
 Hic Phebo dilecta nimis fit plurima laurus,
 Et quecunque ^(l) virens hiemis vim despicit arbor;
 30 Quaque rigat flumen, transcendunt ethera ramis

(a) *C levat... reparatque B reperatque* (b) *Codd. De qua* (c) *Lacuna in ambedue i codici. Il Sabbadini propone (plena luce diei)* (d) *B et herero qui pressis orbibus hesit C ethereo qui pressis orbibus hesit* (e) *B consurgere* (f) *Codd. negat* (g) *Codd. flexo* (h) *C om. amnis* (i) *B tonditur (?)* (k) *B corimbis* (l) *Codd. quacunque*

(r) Cf. MACROB. *Comment. in Somnium Scipionis*, II, 1, 2-3 (= CIC. *De re publica*, VI, xviii [v], 18-9).